DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
LUE VENEREA.

To
J. C. Ogilvie Esq.
with best wishes
from the author

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE LUE VENEREA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATHÆUS GLEAVE,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOCIUS.

"Tristius est leto leti genus: horrida vultus
"Abstulit, et tenero sedit in ore lues:
"Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi."

MARTIAL.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1805.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

AMICO ET PRÆCEPTORI

THOMÆ MERCER,

LONGIPROSPECTÛS

IN

PRÆFECTURA *LANCASTRIENSI*,

ARMIGERO;

QUI,

VIGINTI AMPLIUS ANNOS,

MORBOS CURANDI PERITIA ET FELICITATE

SUIS CIVIBUS,

PRÆSERTIM

IN PTOCHOTROPHIIS *LIVERPOLIENSIBUS*

INOPIBUS,

CONSULUIT ET PROFUIT;

ET, FAMA DIVITIISQUE SATIATUS,

NUPER IN RUS SECESSIT,

UBI,

ANNIS VERGENS,

INTER NATURÆ AMOENITATES,

IN OTIO CUM DIGNITATE,

MERITISSIMIS OPIBUS

TRANQUILLE FRUERETUR;

HANC DISPUTATIONEM

GRATO ANIMO

D. D. DQUE

MATHÆUS GLEAVE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LUE VENEREA.

PROOEMIUM.

I. TIRO medicus, de salutifera arte scribens, comparari potest ebrio, qui, quamvis in rectam viam ambulare non possit, potest tamen currere.

II. Quo ævo, et quâ in regione orbis terrarum, homines, venereis amoribus nimìs dediti, genitalium morbis primùm plecterentur, multùm disputatum est, et fortassè inter disputantes nunquàm conveniet. Si vetustis scrip-

toribus hâc de re, credimus, videtur, à prima literarum memoria, eos, qui effrænâ libidine venereis voluptatibus se nimìs immiscuerint, naturalium malis punitos * esse.

III. Morbus autem, quem, nostrâ ætate, *VENEREUM* medici nominant, descriptus primùm ab auctoribus est, sub finem sæculi decimi quinti; brevi pòst tempore, quàm COLUMBUS primus conspexerat OCCIDUUM SEMIORBEM. Hinc existimatur suo reditu invexisse inter cives hunc morbum, anteà iis incognitum; et certè terribilissimum, quo violatam pudicitiam et illicitum concubitum iratus ultus sit Deus.

IV. Sunt tamen, qui censeant, *luem veneream*, ultra literarum memoriam, cognitam

---

* Vid. HIPPOCRAT. *De natura muliebri.*
CELS. *De medicina*, lib. iv. cap. xxi.
JUVENAL. *Sat.* xi.
FOEDER. VET. SAC. Levitic.
PLIN. SECUND. lib. vi. Epist. xxiv.

apud HINDOSTANOS esse, et ab iis *IGNEM PERSICUM* appellatam *.

V. Inter AFROS viget genitalium morbus, quem, ipsorum linguâ, *YAVAS* † dicunt, et ex quo putavit SYDENHAMUS, ortam esse *luem veneream*, quam ex impuro coitu EUROPÆI accipiant.

VI. Morbus, quem persequimur, *SIPHYLIS* etiam haud rarò appellatur. Hoc nomen cepit à SIPHYLO; qui, ut fingit HIERONYMUS FRACASTORIUS, regis ALCITHOI gregum, quos pascebat, numero et pulchritudine captus, SOLI insultare ausus est, et de quo DEUS, impiam superbiam indignatus, graves illicò pœnas sumpsit.

"*Protinùs illuvies, terris ignota profanis,*
"*Exoritur; primus, regi qui sanguine fuso*

---

* Vid. *Asiatic Researches*, vol. ii.

† Vernaculo sermone *Yaws*.

"*Instituit divina, sacrasque in montibus aras,*
"*Siphylus, ostendit turpes per corpus achores.*
"*Insomnes primus noctes, convulsaque membra,*
"*Sensit, et à primo contraxit nomina morbus :*
"*Siphylidemque ab eo labem dixêre Coloni* *.

VII. Bellius, chirurgus præclarus edinensis, qui nupèr fusè scripsit de *morbo venereo*, censet, *blennorrhagiam* et *siphylidem* diversos omninò esse morbos. Hanc opinionem protulit atque defendit Duncanus, medicinæ theoreticæ in academia edinensi professor; et publici juris fecit, inter res medicas memoratu dignas ab eo tùm gestas, cùm, in publico pauperum medicabulo medicus valetudinarius, opem quærentibus gratuitò consilium et medicinam dabat †.

VIII. *Siphylis*, ut ab auctoribus, qui de *morbo venereo* primùm scripserunt, accipimus,

---

* Vid. Fracastor. *Siphylid.*

† Duncan. *Medical Cases, selected from the Records of the Public Dispensary of* Edinburgh, edit. tert. ann. 1784.

Europæis quadraginta antè annos nota est, quàm inter eos apparuit *blennorrhagia*.

ix. Asserit Astrucius, se vivente, *blennorrhagiam* nupèr inter Sinenses apparuisse, *siphylidem* autem diù antè. Ubì secundâ navigatione exploratoriâ Cookius Otaheitiam revisit, *siphylis* vulgaris jam morbus erat; sed nondùm apparuerat *blennorrhagia*.

x. In nonnullis Scotiæ partibus, inter vulgus hominum, morbus, specie *siphylidi* assimilis, impuro coitu, itemque communi poculorum et *tabacinorum tuborum* usu propagatur. Similis morbus ostendit sese inter ruricolas canadenses. Utrique hi morbi, similitèr atque *siphylis*, *nodis*, *tophis*, ulceribusque corpus deformant; sed nunquàm excitant *blennorrhagiam*.

xi. His cognitis, licet concludere, *blennorrhagiam* et *siphylidem* diversos inter se esse morbos. Nobis itaque in animo est, de iis separatìm dicere.

PARS PRIMA.

De Blennorrhagia.

XII. *Blennorrhagia*, quo nomine Suedaurius appellat morbum, quem auctores, ante eum, *gonorrhoeam* denominabant, est stillicidium mucosi humoris ex urinæ fistula, quod effecit impurus concubitus. Hoc stillicidium *gonorrhoea* olim appellatum ab *anatomicis* est, et medicis quoque; propterea quòd falsò existimabant, esse fluxum seminis. Nostrâ verò ætate, inter medicos convenit, nihil aliud esse, quàm mucum urinæ fistulæ; quem hujus ipsius, aut glandularum quæ secernunt, inflammatio non solùm solito copiosiorem reddiderit, sed etiam colorem et spissitatem aliquantùm mutaverit.

XIII. Censet MONRO SECUNDUS, tabem veneream in urinæ fistulam accipi unà cum seminis guttula, quæ, coitu finito, adhæreat fistulæ ori, et, pene collabente, resorbeatur in fistulam; in quâ inflammationem primùm movet, deinque fluxum albidi sufflavive humoris.

XIV. Non autem certo pòst tempore, quàm in urinæ fistulam accipitur, tabum inflammationem excitat. Aliquandò latet quatuor, vel sex, vel octo dies, vel etiam plures hebdomadas. Imò dicitur latuisse, vel quatuor menses *; aliàs, paucas tantummodò horas.

* "Je tiens," inquit SUEDAURIUS, "du Docteur DUNCAN d' EDIMBOURG, le fait suivant: Un jeune homme partit, il y a quelques années de LONDRES, pour les INDES ORIENTALES, avec l'apparence de la bonne santé; mais, en approchant de ces climats brûlans, après un voyage de quatre mois, il fut attaqué, avant de mettre pied à terre, d'une violente blennorrhagie ou gonorrhée, quoiqu'il n'eût pu recevoir d'infection pendant le voyage *."

* Vid. SUEDAUR. *Sur les maladies veneriennes.*

CAP. I.

De incipiente Blennorrhagia.

XV. *Signa.—Blennorrhagiam* antegrediuntur sensus plenitudinis et tensionis in parte penis inferiore; frequens urinæ desiderium; calor pruriens, se per urinæ fistulam diffundens; et hujus canalis extremitas tactu dolens, et præter solitum rubens.

XVI. Initio humor, qui profluit, est subviridis et sufflavus, nonnunquàm sanguine tinctus. Paulatìm autem spissior fit. Increscit inflammatio. Rigescit, per totam longitudinem, coles; et præsertìm noctu turgescit, cum magno dolore. Testes aliquandò adeò irritabiles fiunt, ut levissimo tactu gravitèr doleant. Interdùm intumescunt inguinum glandulæ; at plerumquè tamen, sine suppura-

tione, subsidunt. Nulla ferè externarum partium inflammatione capitur, præter urinæ itineris extremitatem. Nonnunquàm tamen inflammatio serpit in totam colis glandem.

XVII. *Prognosis.*—Non semper potest prædicere medicus, quamdiù continuetur *blennorrhagia.* Nonnunquàm, si humor effusus albidus est aut sufflavus, brevi tempore mitescit, et dein decedit; contrà, plerumquè diù urget, ubì humor est viridis, aut cum multo sanguine mixtus. Nisi spissus brevi fit humor, plerumquè abit in *blennorrhœam.*

XVIII. Fortassè *blennorrhagia* non eo gravior et longior est, quo acrius tabum pestiferum, undè excitata est; sed magis, ut *variola*, quo pravior corporis habitus, et medendi ratio.

XIX. Ubì humor effunditur ex vasis prope urinæ itineris extremitatem, licet sperare, sanitatem breviredituram; dummodò æger

cæteroquin sanus sit, et haud secùs faciat ac à medico jussus. Quandò res sic propitiæ sunt, haud insolitum est, ægrum duabus hebdomadis revalescere.

xx. Sed, ubì *prostata*, et partes circa vesicæ collum, morbo jam correpta sunt; aut ubì tabum pestiferum vasis bibulis absorptum, in sanguinem conductum est, et totum corpus inquinavit; aut ubì æger, posthabitâ voluptatibus venereis sanitate, concœnationibus se immiscet, poculis et libidini deditus: penes fœdissimâ proluvie diù plectitur.

xxi. *Curatio.*—Optima, quibus mutoni *blennorrhagiâ* laboranti subveniatur, sunt idonea medicamenta, in urinæ iter per commodum clysterem immissa.

xxii. Hujusmodi sunt astringentia, ut *acetis plumbi*, *sulphas zinci*, et *sulphas aluminæ* aquâ solutus, *infusum cyniphidis quercifolii nidorum*, *decoctio corticis quercûs roboris.*

XXIII. Apta quoque, quæ in urinæ iter injiciantur, sunt absorbentia, velut *carbonas zinci impurus*, *oxydum zinci impurum*, *submurias hydrargyri*, per *mucilaginem* aquâ suspensa.

XXIV. His accedant opium aquâ solutum; *resina canadensis*, et *resina copaifera*, per *mucilaginem* cum aquâ conjuncta. Primæ autem concedendæ sunt *sulphati zinci* aquâ soluto. Hic sexiès quotidie octièsve injiciendus est, per commodum clysterem.

XXV. Intereà diæta debet esse tenuis, at non tamen qualis ægrum debilitet. Si magna vis inflammationis urget, vel si æger sanguine plenus est; opus interdùm erit sanguinem mittere, et alvum laxare.

XXVI. In fœminis signa leviora sunt, quàm in maribus. Multum nonnunquàm sine molestia profundunt humoris, qui menses albos adeò refert, ut ab his vix possit distingui.

XXVII. Fœminæ tamen tunc tantùm ab inflammatione et dolore integræ sunt, ubì vaginæ morbus insidet. Quoties morbus urinæ fistulam afficit, eadem mala fœminas urgent, quæ mares. Intolerabilis ferè irritatio ad fistulæ extremitatem vexat. Frequens urinæ desiderium est, quæ, dum redditur, impatibilem itineris ardorem movet. Adeò intereà dolent vesica, renes, uterus, et *ovaria*, ut sit, quarè putemus inflammatione affici.

XXVIII. Humor effusus nonnunquàm adeò acris est, ut exasperet et exedat *clitoridem*, *nymphas*, et naturæ labia.

XXIX. Astringentes humores possint copiosè in urinæ iter infundi. Præterquàm enim quòd raRò non morbum sanant, non mala afferunt, quæ tam sæpè in maribus.

CAP. II.

De Blennorrhagia confirmata.

XXX. Simul ut *blennorrhagia* se confirmavit, omnia signa ingravescunt. Urina, dum emittitur, majorem ardorem excitat. Totum mentulæ corpus tactûs impatiens fit, et vel levissimo tactu multùm dolet. Simul in horrendum priapum turgescit, et paulùm caput demittit deorsùm. Humor, qui exstillat, plùs minùs virescit, aut multo sanguine tingitur. Exstillat ex superioribus urinæ itineris partibus; plerumquè circa medium *perinæi* locum, ubì ex pressu æger dolorem sentit, et percipiuntur unus pluresve tumores exigui, quos inflammatio, glandulis COUPERIANIS correptis, effecit,

XXXI. *Blennorrhagia* in confirmatam abit, propter inflammationem in urinæ iter diffu-

sam aut effusi humoris acrimoniâ, aut malâ curatione.

XXXII. Hæc inflammatio apta est, quæ in suppurationem abeat.

XXXIII. *Curatio.*—Oportet medicum quamprimùm discutere inflammationem sanguinis detractione; alvi purgatione; oleum, et aquam ex lini seminibus aut althæâ decoctam, in urinæ fistulam immittendo.

XXXIV. Si pars inflammata abscessit, pus plagâ factâ emittendum est, ne in urinæ fistulam erumpat. Quoties hoc factum est, non licebit ullos humores in urinæ fistulam injicere.

CAP. III.

De Blennorrhagia inveterata.

XXXV. Quum *blennorrhagia* inveteraverit, unà cum cæteris malis, quæ memoravimus, gravis dolor fixus superiori *perinæi* parti inhæret. Simul in omnibus partibus ano contiguis est sensus plenitudinis et tensionis. Urinæ emissio, seu exstillatio potiùs, intolerabilem ardorem movet. Æger simul tenesmo, seu inani alvum egerendi desiderio, vexatur. Digito in anum immisso, *prostata* percipitur haud parùm tumefacta; nonnunquàm usque eò, ut ex toto urinæ iter obstruat, et non solùm urinæ exitui officiat, sed obstat, ne in iter virga flexibilis introducatur.

XXXVI. *Curatio.*—Ubì eò perventum est gravitatis, sanguis, sine mora, ex brachio mit-

tendus primùm est ; dein, ministris hirudinibus, ex parte laborantibus quàm proximâ.

XXXVII. Ad sedandum dolorem et irritationem partium affectarum multùm conducit opium, sive ore assumptum, sive, lotionis formâ, in alvum ex inferiore parte infusum.

XXXVIII. Eodem tempore, urinæ fistulæ profluvium evocandum est : nam suppressione omnia mala ingravescunt, sed reditu levantur. Ut humor continentèr profluat, humores, qui emolliant, tepidi infundendi per diabeten commodum sunt in urinæ iter. Hujusmodi autem humor est aqua, in qua maceratæ sint capsulæ papaveris somniferi. Cataplasmata simul calida *perinæo* inducere debet æger, et in balneum, quoties opus, descendere.

XXXIX. Plerumquè tamen mala, quibus miserum afficit inveterata *blennorrhagia*, levanda sunt magis victûs et vitæ ratione, quàm medicinâ.

CAP. IV.

De Signis imperpetuis.

XXXIX. *Prostatæ tumor.*—Ad discutiendum hujus glandulæ tumorem hydrargyrus parùm pollet. Neque enimvero cicutæ curationem credere tutum est. Interdùm, præsertìm si impurus sit naturâ strumosus, utile erit aquam marinam bibere, eâdemque corpus identidem lavare.

XL. *Tentigo,*—quâ deorsùm curvatur virga, et quæ ullo *blennorrhagiæ* tempore potest accidere, aliquandò levatur virgæ, in urinæ fistulæ longitudinem, infricando *tincturam opii,* aut *camphoram* oleo vel *alcohole* solutam. Si admodùm crucietur æger, oportet coli prætereà

hirudines imponere, quæ sanguinem exsugant ex partibus laboranti quàm proximis.

XLI. *Blennorrhoea*,—quo nomine appellatur urinæ fistulæ fluxus, qui manet postquàm inflammatio conquievit, non pestifera est, neque ejus contactus potest communicare morbum.

XLII. *Curatio*.—Huic malo, quod interdùm diù manet, subveniendum est humoribus astrictoriis, in urinæ fistulam immissis; virgis flexibilibus in eandem compulsis; oleo terebinthino, et balsamis in stomachum acceptis. Hoc quoque morbo laborantibus prodest frigidarium.

XLIII. *Urinæ impotentiam*,—quo malo nullum pejus *blennorrhagiæ* supervenit, aut *prostatæ* tumor efficit; aut urinæ fistulæ spasmus, verrucæve; ejusdemve angustia orta ex corporis spongiosi tumore, sive digitum unum diffusus hic sit, sive in unâ tantùm sit

parte, perindè ac si coles ligamento vinciretur.

XLIV. *Curatio.*—Quum, ob urinæ fistulam angustatam, æger non possit urinam reddere; utile erit partes fovere aquâ, in quâ incocta anthemis sit, aut mutoni *æthera sulphuricum* cum opii tincturâ mixtum infricare, aut *oleum camphoratum.*

XLV. Quòd si urinæ itineris angustia est ex corporis spongiosi tumore, succurrendum est opio in stomachum assumpto, et sanguinis missione. In urinæ simul fistulam, si admittendi patiens sit, oportet virgam flexilem introducere.

XLVI. *Testiculi tumor,*—quem HERNIAM HUMORALEM chirurgi appellant, *blennorrhagiâ* laborantes sæpè afficit. Hoc malum incipit à dolore, qui ægro perindè videtur, ac si aliquo acuto incidente moveretur, et *funiculi spermatici* rigiditate. Testiculus turgescit. Nonnunquàm testiculi aliquandiù alternis vicibus

intumescunt, rarissimè utrique simul. Urget acuta febris; et abdomen atque crura peculiari molestiâ afficiuntur.

XLVII. Hoc grave malum suppresso plerumquè profluvio efficitur: nam, ubì profluvium redit, testiculi tumor ferè discutitur, et evanescit.

XLVIII. *Prognosis*—plerumquè bona est, ubì, fluxu redeunte, detumescit testiculus. Mala autem est, ubì, tumore non subsidente, conquiescit dolor.

XLIX. *Curatio*—efficienda est iisdem medicamentis et remediis, quibus discutiuntur aliæ inflammationes.

PARS SECUNDA.

De Siphylide.

L. De *blennorrhagia* diximus; nunc transeundum est ad alteram rei nostræ partem, quæ de *siphylide* tractat.

CAP. I.

De Signis.

LI. *Siphylis* plerumquè se ostendit in genitalibus. Quum nihil impedit, sequentia ferè signa deinceps apparent; ulcuscula nimirùm; *bubones;* faucium inflammatio atque ulcera; oris, nasi, et calvæ ossium ulcera; maculæ in summâ cute; ulcera in diversis partibus cor-

poris; *nodi* et *tophi* in ossibus et *tendinibus*; tumores circa anum; *alopecia*; *amaurosis venerea*; *dysecœa siphylitica*.

LII. *Ulcuscula*—aliàs citiùs post tabum admotum erumpunt; aliàs, seriùs. Aliquandò viginti quatuor horis se ostendunt; aliquandò, non ante sex hebdomadas. Plerumquè verò oculis obveniunt tribus quatuorve diebus.

LIII. Jam in unâ externorum genitalium parte, jam in aliâ, ulcuscula apparent; et nonnunquàm, etiam in partibus vicinis. Prima facies est ea exiguæ papulæ prurientis, quæ in pustulam abit. Hæc ipsa, pòst paulò rupta, effundit tenuem humorem, qui inflammationem quoquoversùm diffundit. Ulcusculum, ruptâ pustulâ factum, eò, ut sanescat, non inclinat, et circumscripti ejus margines crassescunt.

LIV. In fœminis ulcuscula iis marium assimillima sunt; sed, quum in illis tabum majori spatio applicetur, sunt numero plura.

LV. *Bubo*—est *lymphaticæ* glandulæ tumor, quem tabes ex ulcusculo absorpta efficit. Plures *bubones*, primis octo diebus post ulcusculum conspectum, nascuntur, quàm, æquo temporis spatio, per reliquum morbum *.

LVI. *Faucium ulcera*—nonnunquàm decem diebus, post conspecta ulcuscula, oculis obveniunt. Aliàs, non ante plures menses, quàm omnes externæ morbi notæ evanuerint.

LVII. Ulcera figurâ cavum conum repræsentant. Amygdalas primùm plerumquè fœdant. Parùm dolent, nisi ubì æger devorat. Erysipelas vicinas nonnunquàm partes afficit; et non solùm dolorem movet, sed etiam raucedinem inducit, et animæ fœtorem. Quandò morbus nasum afficit, aliquam plerumquè partem ossium spongiosorum depascitur.

LVIII. Omnes aliquandò oris partes venerea ulcera deturpant, sed sæpissimè palatum et

* Vid. Benjamin. Bell. *On the Venereal Disease.*

et linguam. Primùm, inter *uvulam* et medium palatum, apparet cuprea macula, quæ dein in ulcus abit; quod citò in latitudinem patet, et altiùs penetrat. Hujusmodi ulcus, quippe quod unum sit, distingui potest ab iis, quæ hydrargyri usu oriuntur, et numero plura sunt.

LIX. *Cutis maculæ.*—Morbo progrediente, cutis maculis distinguitur subrubris, et subfuscis aut cupreis. Eodem ferè tempore, scabiosæ crustæ tempora et capillorum radices deturpant.

LX. Maculæ, haud longo tempore, abeunt in ulcera. Hæc primùm numerosissima sunt in pectore, et humeris; dein paulatìm deformant cæteras corporis partes.

LXI. *Cætera mala.* — Increscente morbo, virus dein ossa ipsa vitiat, quorum doloribus, præsertìm noctu, æger gravitèr cruciatur.

LXII. Glandulæ tandem indurescunt; atque ossa extuberant fungosâ substantiâ, quæ

levissimis causis sanguinem profundit, et, deleta, brevi renascitur.

LXIII. Morbo inveterato, venerea tubera circa anum nascuntur: defluunt pili: atque miser oculis captus est, aut auribus.

CAP. II.

De Medicamentis.

LXIV. Medicamenta, adversus *siphylidem* efficacia, quibus, nostrâ ætate, primas concedunt medici, sunt hydrargyrus, *guiacum*, *sarsaparilla*, *mezereon*, et opium. Paucis antè annis SCOTTUS BOMBAIENSIS usu compertus est, *nitricum acidum* et *muriaticum* aliquantùm ad *siphylidem* curandam pollere. Nonnulli verò dubitant, an *acido muriatico* insit *oxygenium*. GARNETUS, credo, suadet, ut adhibeantur *oxygenatus murias potassæ*, et *gas oxygenium*. De his deinceps medicamentis, pauca dicenda sunt.

LXV. *Hydrargyrus*—non contra *siphylidem* efficax est, nisi cum *oxygenio* in unitatem consocietur. Cum hoc autem concorporari potest, aut cum acidis commiscendo, aut conterendo cum mucosis, vel sebaceis, vel saccharo.

LXVI. *Sarsaparilla* et *guiacum*—cutis halitum eliciunt; et sic impediunt, ne hydrargyrus, ut interdùm, os nimìs afficiat. Numne, per se, contra *siphylidem* polleant, nondùm constat. Eorum verò usu miser hydrargyri patientior redditur, quo, in graviore morbo, nihil sanè magis optandum.

LXVII. *Mezereon* et *opium*—præcipuè utilia sunt ad curanda ulcera, quæ nonnunquàm, post morbum hydrargyro curatum, manent.

LXVIII. *Nitricum acidum*, et *muriaticum*,—iis conveniunt *siphylide* affectis, qui multùm debilitantur, et simul sunt ad alimentum concoquendum invalidi. Quippe enim non solùm universi corporis vires augent, et stomachum

ciborum appetentem, eosdemque concoquendi potentem, faciunt; sed etiam consequuntur, ut miser plus hydrargyri ferat, citiùsque morbum exsuperet.

LXIX. Ad curandas fistulas languidas et irritabiles, quæ *siphylidi* superveniunt, sed quæ fortassè nihil tabis pestilentis continent, hydrargyrus parùm pollet. Plurimùm autem possunt acida dilutiora, sive assumuntur in stomachum, sive extrinsecùs applicantur. Multùm etiam levant dolores et tumores, quibus diù affecta sunt ossa. Potest nonnunquàm *blennorrhagia* curari his acidis, in urinæ fistulam immissis.

LXX. Pleraque malorum, quæ oriuntur ex hydrargyro inconsideratè et immoderatè adhibito, ut immodica saliva, tumida lingua, labantes dentes, et anima fœtida, acidis in stomachum assumptis subitò levantur.

LXXI. Acida, præsertìm *nitrosum* et *nitricum*, ut putat BLANEUS, *oxygenato muriati*

potassæ, et *gasi oxygenio*, anteferenda sunt *. De hoc sanè *gase* nondùm satìs cognovimus, ut possimus certò concludere, ad *siphylidem*, necne, curandam possit.

LXXII. Si hydrargyrus eodem modo agit, quo hæc acida, debet, ut censet GREGORIUS, iis propterea anteponi, quòd ad spem certiùs respondet †. Existimat idem, mala, quæ nimio aut imprudente hydrargyri usu oriantur, *oxygenio* potiùs ascribenda esse, quum crudum illud metallum iners sit.

LXXIII. Quanquàm verò acida nonnunquàm bona auxilia sunt, solum tamen medicamentum, quo sanetur inveterata *siphylis*, hydrargyrus est.

LXXIV. Mortales tamen beneficiorum, quæ à hydrargyro accipiunt *siphylide* inquinati, immemores, perpetuò animos agitant, ut novum inveniant medicamentum, quod ei sufficiant.

* Vid. BLAN. *On the Venereal Disease.*

* Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

CAP. III.

De Medendi Ratione.

LXXV. *ULCUSCULA*,—quippe cùm in parte tantùm corporis consistant, sine mora, urenda sunt, et quamprimùm curanda. Impurus interìm debet cavere, ne ambulando equitandove ea irritet: quippe cùm inflammatio, hinc orta, faciat, ut tabes absorbeatur, et totum polluat corpus. Urigine tamen, quò sanentur ulcuscula, consideratè uti opus est; ne, ut interdùm, inflammationi hinc motæ superveniant inguinum tumores, quos *BUBONES* nominant medici.

LXXVI. Suadet BELLIUS, ut octo antè dies adhibeatur hydrargyrus, quàm urantur ulcuscula: quippe, hoc facto, rariùs, ut putat,

accidit, ut intumescant inguinum glandulæ *. Ulcuscula autem, quæ magnam habent vim inflammationis, et ad gangrænam proclivia videntur, non tutum est ustulare.

LXXVII. *Bubonem*—nascentem, qui nondùm incepit suppurare, oportet discutere, sanguine ex parte ei quàm proximâ mittendo; parcâ diætâ; catharticis; et unguento ex hydrargyro femini et colis radici infricato, ut absorptum in glandulas tumefactas conducatur.

LXXVIII. Quòd si *bubo* eò, ut suppuret, inclinat, pus movendum est et concoquendum diætâ plenâ, et cataplasmatis maturantibus; neque tamen hydrargyri usus intermitti debet †. Quum coctum pus sit, plagâ factâ emittendum est; et hydrargyri usu perducendum eò ulcus est, ut sanescat, et cicatricem ducat.

---

* Vid. Benjamin. Bell. *On the Venereal Disease.*

† Vid. Benjamin. Bell. Id. Op.

LXXIX. *SIPHYLIS INVETERATA*,—quâ nempè polluitur universum corpus, ad sanitatem perducenda est prudentèr perseverando in hydrargyri usu.

LXXX. *VENEREA ULCERA*—brevi eò inclinantur, ut sanescant, eorum ustione. Urigo vel faucium et narium ulceribus potest, per tubum, apponi. Ustulatæ hæ partes minùs dolent, quàm solent cæteræ corporis partes. Uredo, quamvis ulcerum paulispèr dolorem moveat, tamen haud ita multò pòst sedat eorum irritationem, et consequitur ut sanescant.

LXXXI. Ulcera, quæ hydrargyri usu in ore nascuntur, à venereis distingui possunt: quippe cùm illa multo magis doleant ex ustione, neque in melius mutentur; dum hæc, postquàm dolor, quem ab urigine acceperint, conquievit, multùm levantur, et sanescentium speciem præ se ferunt. Ubì morbus nondùm diù continuavit, non opus est, quò sanentur, ut aliquid prætereà iis extrinsecùs admoveatur; neque necesse est, ut in hydrargyri usu

tres amplius hebdomadas perseveretur, quàm cicatricem acceperint. Quoties autem morbus diù perstitit, non oportet hydrargyro desistere, ante quinque sexve hebdomadas.

LXXXII. *Maculas*—venereas rarò non curat argentum vivum. His ipsis medicamenta admovere haud opus est, nisi ubì incalescunt, et molestiam movent: quod cùm accidat, aspergendum iis amylum est. Ad venereas tamen maculas curandas plùs pollet hydrargyrus, quocum conjunctum stibium est.

LXXXIII. *Periosteum* et *ossa*—quum *siphylis* affecerit, statìm ad argentum vivum decurrendum est. Hæ partes, quum raró morbi participes fiant, dum hic inveteraverit, requirunt plus argenti vivi, quo curentur, quàm cæteræ, quæ *siphylide* inveteratâ corripiuntur. Si superjecta cutis inflammata multùm dolet, proderit ei præparata quædam ex plumbo applicare. Sin dolor oritur ex *periosteo* tumefacto osse distento, nihil est, quo mitigetur, nisi hujus membranæ incisio.

LXXXIV. *Tubera*—ex hydrargyri usu plerumquè evanescunt. Quòd si huic resistunt, debent ustulari, aut, si tutò possint, ferro excidi.

LXXXV. *Testiculi tumor*—inveteratæ tantùm *siphylidi* supervenit. Ad eum digerendum, et venereum exstinguendum virus, longus et multus hydrargyri usus necessarius est. Enimvero oportet ægrum in tanto hujus medicamenti usu decem duodecimve hebdomadas perseverare, quantum ferre possit.

LXXXVI. *Alopecia.*—Juniorum ætate, qui *siphylide* calvi fiunt, capilli plerumquè renascuntur; provectorum contrà rarissimè. Nihil depilatis salutem pollicetur, nisi longus et multus hydrargyri usus.

LXXXVII. *Cæcitas.*—Qui *siphylide* oculis capti sunt, iis unicum remedium, quo serventur, argentum vivum est.

LXXXVIII. *Surditas* hydrargyro parùm levatur.

Siphylis infantum.

LXXXIX. *Siphylis infantum*, plerumquè paulò post partum, se erysipelatis formâ ostendit. Vera cutis cuticulâ nudata humorem puri similem effundit. Ungues crudi sunt. Nonnunquàm morbus, non ante decimum, duodecimum, decimumve quartum à partu diem, apparet. Tùm, circa anum, nates, et naturalia, erumpunt maculæ, margine inæquales, subrubræ, et aliquantùm prominulæ; ex quibus aliquandò exsudat humor acris, et tenuitate sero similis.

XC. Infantum nonnulli, ut censet Bellius, patrum vitio *siphylide* afficiuntur; alii, matrum. Plures deinceps præmortui partus plerumquè venerei parentum vitii consequentia sunt.

Quò vivos pariant matres, cùm ipsæ tum mariti debent longo hydrargyri usu se morbi reliquiis purificare.

XCI. Infantes *siphylide* inquinatos, quippè cùm magnam ejusdem morbi vim nutricibus impertiantur, matres ipsæ lactare debent; et tam lactantes, quàm lactentes, debent hydrargyrum adhibere.

XCII. *Sibbines* * et *yavæ* † à nonnullis auctorum putantur idem morbus. Præter *blennorrhagiam*, omnia ferè signa iis communia sunt cum *lue venerea*.

XCIII. Quum plerumquè vulgentur communi vasorum, poculorum, cochlearium, aut *tuborum tabacinorum* usu, ferè primùm se

---

* Vernaculo sermone SIBBINS. † *Yaws*.

ostendunt in faucibus, aut aliâ aliquâ oris interni parte.

XCIV. Secundum GILCHRISTUM, qui *sibbines* benè descripsit, pustulæ scabiosæ sæpè fœdant pilosam capitis partem; itemque frontem, femina, inguina, partesque his adjacentes. Circa anum, nonnunquàm oriuntur inflammationes et tubera. Aliquandò *herpetem exedentem* simulat hic morbus; et, dum in una parte sanescit, in alia erumpit *.

XCV. Propriæ *sibbinum* sunt extuberantiæ spongiosæ, molles, aspredine et colore rubi Idæi fructui subsimiles.

XCVI. Hydràrgyro soli credenda curatio est.

---

* Vid. *Edinburgh Physical and Literary Essays.*

FINIS.